A. D. 1912. Nrus VI.

CURRENDA

Nrus 4200.

Visitatio canonica Decanatus Dąbrovaënsis.

1. Die 19. Augusti a. c. horis pomeridianis ad Dąbrowa veniemus ibique diebus 20. 21. et 22. Augusti sacris fungemur officiis,
2. Diebus 23. et 24. Aug. in Olesno,
3. Die 25. Aug. in Odporyszów,
4. Die 26. Aug. in Żabno,
5. Diebus 27. et 28. Aug. in Otfinów,
6. Diebus 29. et 30. Aug. in Gręboszów,
7. Diebus 31. Aug. et 1. Septembris in Bolesław
8. Diebus 2. et 3. Sept. in Szczucin,
9. Diebus 4. et. 5. Sept. in Radgoszcz et
10. Die 6. Sept. in Luszowice.

Durante visitatione omnes P. T. Sacerdotes dioecesani sumant — permittentibus rubricis — quotidie in Missa collectam: *de Spiritu Sancto.*

S. CONGREGATIO RITUUM

1.

DECRETUM
CIRCA NOVAS RUBRICAS.

Ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione inse quentia dubia delata sunt; nimirum:

I. Utrum Festa Deiparae et Sanctorum, quae sub ritu duplici maiori vel minori in Dominicis agebantur, possint in alia die fixe reponi, si eadem Festa mobilia particularia iure vel privilegio translationis et repositionis ornabantur;

an potius debeant, sicuti alia Festa mobilia, ad instar Simplicis commemorari, nisi potius velint omitti?

II. Num Festa mobilia, quae sub ritu duplici I. vel II. classis alicubi celebrantur, ius translationis et repositionis habeant, quamvis nulla de hoc iure mentio in decreto concessionis aliquibus locis facta habeatur?

III. Utrum Festa, quae in universa Dioecesi vel in toto Instituto die fixa mensis celebrantur, si in aliqua Dioecesis vel Instituti ecclesia sub ritu duplici minori vel maiori Dominicis diebus fuerint hucusque celebrata, debeant commemorari vel omitti iuxta praescriptiones temporarias; an potius celebrari debeant in die fixa iuxta Kalendarium Dioecesis vel Ordinis, servato ritu forsan altiori Officii eiusdem pro Dominicis diebus in particulari Ecclesia concessi?

IV. Num Festa mobilia, quae in alia per hebdomadam Feria sub ritu duplici maiori vel minori recoluntur, ut Festa Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis, commemorari generatim debeant iis annis, quibus impediuntur, etsi ius translationis et repositionis non habeant?

V. Utrum facultas, quae data est per novas rubricas tit. X. num. 3. Festis a Dominica impeditis, ut recoli valeant celebratione omnium Missarum, una excepta, ob votum vel concursum populi, extendi possit ad Festa in perpetuum ad instar Simplicis redacta, vel penitus abolita, eo quod Dominicis olim fuerint affixa?

VI. An Missae omnes, quae permittuntur a rubrica tit. X. num. 3., celebrari possint, etiam si occurrat Festum duplex I. aut II. classis?

VII. Quum ex nova rubrica tit. X. num. 2. Missae privatae defunctorum in Quadragesima non liceant nisi prima cuiusque hebdomadae die non impedita; quaeritur, utrum haec prohibitio generalis sit, atque, recurrente Festo semiduplici aut Feria, Missas etiam privatas quidem seu lectas, sed de anniversario alicuius defuncti ex propinquorum devotione celebrari postulatas involvat?

VIII. Utrum in Missa de Feria Quadragesimae celebrata, ad normam novae rubricae tit. X. num. 2. post commemorationem Festi duplicis eadem die recurrentis, addi debeat tertio loco oratio *A cunctis;* et si negative, utrum sumi possit collecta ex devotione celebrantis addenda; et si pariter negative, utrum id liceat in Missa feriali, Festo semiduplici recurrente?

IX. Quum in Decreto die 2. martii currentis anni praescriptum sit, Dominicam II. post Epiphaniam anticipandam esse in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, in qua occurrit Festum ritus semiduplicis; et si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, occurrente etiam Festo ritus duplicis minoris: quaeritur, quid agendum, si tota hebdomada impediatur Festis classicis aut ritus duplicis maioris?

X. Quo colore utendum est in Communione extra Missam administranda in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum?

XI. Num in Missis votivis Praefationem propriam non habentibus legenda sit Praefatio de Officio Sanctae Mariae in Sabbato, quod in eisdem Missis commemorationem habet?

XII. Utrum in Festis novem Lectionum Praefationem propriam in Missa habentibus et infra tempus Quadragesimale, aut Passionis, aut Paschale celebratis, si dicatur, iuxta rubricam tit. X. num. 2., Missa de Feria cum commemoratione Festi currentis, adhibenda sit Praefatio Temporis, an Praefatio Festi, quod in Missa Feriae commemoratur?

XIII. Quaenam Praefatio adhibenda sit in Missa, Praefatione propria carente, in qua commemoratur tum Festum simplificatum et Praefatione propria gaudens, tum Feria Praefationem Temporis item propriam obtinens?

XIV. Num occurrente Festo novem Lectionum in Feria II. et IV. Rogationum et in Feriis Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris, legi possint et debeant Lectiones de Scriptura, quae die immediate antecedenti vel sequenti fuerint impeditae, si Festum illud novem Lectionum Lectiones proprias vel de Communi non reposcat?

XV. Et quatenus affirmative ad XIV.:

1º Utrum Lectiones de Scriptura diei praecedentis, an Lectiones de Scriptura diei sequentis sint praeferendae, si ambae fuerint impeditae?

2º Num a sua die Lectiones de Scriptura occurente amoveri possit, ut in Feriis Homiliam habentibus Lectiones de Scriptura legi possint, ita ut, exempli gratia, si Lectiones Feriae II. infra hebdomadam III. Adventus impediantur, poni possint et debeant in Feria III. et Lectiones Feriae III. in Feria IV. et ita in similibus?

XVI. Num initium alicuius Libri, si aliter poni nequeat, reponi possit et debeat in Festo novem Lectionum, quod Lectiones revera proprias et historicas in I. Nocturno habeat, prout habent utraque Cathedra et Vincula S. Petri Apostoli, Conversio S. Pauli Apostoli, Inventio S. Stephani Protomartyris et similia?

XVII. Et quatenus negative ad XVI., num idem dicendum sit de Lectionibus appropriatis, prout sunt appropriatae in Festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli, S. Mariae Maioris et in similibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem, nisi obtineatur novum Indultum; affirmative ad secundam, iuxta novas dispositiones.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad IV. Affirmative, iuxta novas rubricas, tit. III. num. 4.

Ad V. Affirmative, pro simplificatis; negative pro abolitis.

Ad VI. Negative, salva tamen rubrica generali Missalis, tit. VI. *de translatione Festorum.*

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Quoad primam partem provisum per Decretum diei 22. martii 1912 ad 5; quoad secundam et tertiam partem negative.

Ad IX. In casu Dominica anticipetur in Sabbato, aut in alia praecedenti Feria, in qua occurit Festum ritus duplicis maioris.

Ad X. Utendum colore violaceo aut albo.

Ad XI. Affirmative ad mentem recentium Decretorum.

Ad XII. Adhibeatur Praefatio Temporis, utpote propria Missae.

Ad XIII. Adhibeatur Praefatio Festi simplificati et prius commemorati.

Ad XIV. Affirmative.

Ad XV. Quoad primam partem legantur Lectiones diei praecedentis; quoad secundam partem affirmative.

Ad XVI. Negative.

Ad XVII. Negative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 19. aprilis 1912.

2.

LITTERAE CIRCULARES

AD REV. MOS LOCORUM ORDINARIOS QUOAD PROPRIA OFFICIORUM DIOECESANA.

Illme et Rme Domine, ut Frater!

Quum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X. magnae curae sit, ut Breviarii Romani reformatio ad unguem perficiatur, operae pretium erit, etiam lectiones historicas cuique dioecesi proprias ad trutinam revocare. Quamobrem gratissimum Summo Pontifici fecerit Amplitudo Tua, si pro virili curabit, ut in ista dioecesi Tibi commissa, viri periti eligantur, qui, conlatis consiliis, historicas lectiones, quas supra dixi, diligenter examinent easque cum vetustis codicibus, si praesto sint, aut cum probata traditione conferant. Quod, si repererint eas historias contra fidem codicum et solidae traditionis in aliam formam a nativa degenerasse, omni ope adlaborent, ut vera narratio restituatur.

Omnia vero maturius expendenda sunt, ne quid desit ex ea diligentia, quae collocanda est in reperiendis codicibus, in eorum variis lectionibus conferendis et in vera traditione observanda. Nec profecto opus est festinatione: *putamus enim spatium ad minus triginta annorum necessarium, ut Breviarii reformatio feliciter absolvatur.*

Interea cum opus in ista dioecesi perfectum fuerit, Amplitudo Tua, ut illud ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem mittatur, pro sua pietate sataget; ita tamen, ut si quid in Lectionibus historicis additum vel demptum aut mutatum fuerit, rationes, quae ad id impulerunt, brevi sed lucida oratione afferantur.

Dum haec, de speciali mandato Summi Pontificis, Amplitudini Tuae significo, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae, die 15. maii 1922.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. S.

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

NOTA. Hisce similes litterae missae sunt ad Praepositos generales Ordinum seu Congregationum Religiosorum, quoad Propria Officiorum ipsis concessa.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

LITTERAE

CIRCA DIES FESTOS.

Plurimis ex locis pervenerunt ad hanc S. Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur, ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum sub praecepto per litteras Apostolicas diei 2 iulii 1911 expuncti, in pristinum restituantur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit, ut festum Ssmi Corporis Christi celebrari possit cum solemni processione et pompa, ut antea, feria V post Dominicam Ssmae Trinitatis, eam praesertim ob causam, quod huiusmodi processionis defectum non sine animi moerore et spirituali iactura pati videantur populi, qui eam diem specialiter solemnem habere et miro splendore celebrare consueverunt.

Porro, Ssmus Dnus N. Pius PP. X., Cui relatio de praemissis facta fuit ab infrascripto Cardinali huis S. Congregationis Praefecto, plane cupiens, ne ex praepostera aut non recta interpretatione praedictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur; volens imo ut, quoad fieri possit, augeantur, haec, quae sequuntur, declarari, praecipi atque indulgeri mandavit:

1. Quum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub praecepto, quemadmodum non semel a Suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit, ut eorum dierum festivitas omnino supprimeretur; vult immo Sanctitas Sua, ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori quam antea, solemnitate, et si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio, qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ob operibus servilibus; idque potissimum ad evitandas frequentioris praecepti transgressiones et ne forte contingeret, ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Praecipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus, ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer, ut iis etiam diebus pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

2. Quo autem Christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quoties dies abstinentiae vel ieiunio consecratus incidat in festum, quod, licet praecepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

3. Item per praesentes litteras concedidur, ut festum Ssmi Corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non ob-

strictum, celebrari possit cum solemni processione et pompa, prout antea, feria V. post Dominicam Ssmae Trinitatis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Concilii, die 3 maii 1912.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. S.

O. GIORGI, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO INDICIS.

DUBIUM.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 6 maii 1912 ad dubium:

„Utrum Episcopus loci, in quo aliquis eidem non subditus librum, a proprio Ordinario iam examinatum et praelo dignum iudicatum, publice iuris facere desiderat, istius libri impressionem permittere possit, quin eum novae censurae subiicere debeat."

respondendum censuit:

„Affirmative, apponendo iudicium „Nihil obstare" censoris alterius dioecesis ab istius Ordinario sibi transmissum".

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X. per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua responsionem Eminentissimorum Patrum confirmavit et promulgari praecepit.

Datum Romae, die 9 maii 1912.

F. CARD. DELLA VOLPE, *Praefectus.*

L. S.

Thomas Esser, O. P., *Secretarius.*

L. 4423.

Udzielanie nauki religii więźniom.

Corocznie donoszą Nam Prezydya c. k. Sądów obwodowych, czy i z jaką gorliwością zajmuje się P. T. Duchowieństwo Naszej Dyecezyi umoralnianiem inkwizytów i skazańców przy c. k. Sądach powiatowych przez nauczanie ich zasad wiary i zachęcanie do praktyk religijnych.

Też Prezydya wydają również polecenia Sądom powiatowym w myśl orzeczeń ministeryalnych, aby dozorcy więzień donosili Duchowieństwu, kiedy większa liczba inkwizytów i aresztantów, na dłuższy czas skazanych, a zwłaszcza młodocianych, znajduje się w więzieniach.

Niechże P. T. Duszpasterze usilnie się starają nawiedzać więźniów i nauczać ich, tem więcej, że Naczelnicy Sądów powiatowych mają polecenie wpuszczać Kler do więzień — celem nauczania zasad wiary — w godzinach dla niego najdogodniejszych.

L. 3697.

Wpisywanie do metryk.

Dzieci zrodzone przez matkę w czasie dłuższej nieobecności męża należy uważać za ślubne według zasady przyjętej przez prawo kościelne i cywilne austryackie: *pater is est quem nuptiae demonstrant.* Duszpasterz prowadzący metryki nie może samowolnie od tej zasady odstępować, choćby nawet miał wątpliwość o ślubnem pochodzeniu dziecięcia. Orzeczenie odnośne należy wyłącznie do władz sądowych, do których strona pokrzywdzona ma się odnieść w przepisanym terminie. Duszpasterz powinien, spełniając officium boni viri, powiadomić męża, aby skorzystał z przysługującego mu prawa i u sądu wyjednał orzeczenie o nieślubnem pochodzeniu dziecięcia.

L. 2536.

Miesięczne wykazy dzieci nieślubnych.

Celem umożliwienia c. k. Sądom należytego sprawowania pieczy nad nieślubnemi dziećmi, na prośbę Prezydyum c. k. Sądu krajowego wyższego w Krakowie, z dnia 18. kwietnia 1912. $\frac{\text{Prez. 5782.}}{\text{17. N.|12.}}$ zarządzamy niniejszem, aby Urzędy parafialne przedkładały *co miesiąc* wykazy nieślubnych urodzeń odnośnym c. k. Sądom powiatowym.

L. 2843.

Poszukuje się:

Metryki ślubu Pawła Szablowskiego z Martą z Podolskich, zawartego przed r. 1778.— ewentualnie także metryki urodzenia Pawła Szablowskiego z czasu między 1735 a 1757 r.

Znalezione metryki przesłać należy do P. Mieczysława Szablowskiego, c. k. Sekretarza Skarbu w Krakowie, ul. Kanonicza, który ofiaruje za każdą z nich znaczniejsze wynagrodzenie.

Mutationes inter Venerabilem Clerum.

Applicati: R. et Clrmus Phil. et S. Th. Dr Andreas Cierniak ad Lubzina; R. Dni Neo-ordinati: Josephus Bibro ad Lisiogóra, Valen-

tinus Bogacz ad Zbylitowska góra, Ignatius Chmura ad Żegocina, Valentinus Chrobak ad Szczucin, Joannes Czuj ad Ciężkowice, Joannes Dymurski ad Limanowa, Joannes Fortuna ad Dębica, Michaël Gruszkowski ad Straszęcin, Antonius Kolarz ad Czermin, Josephus Kozieja ad Rzezawa, Nicolaus Piechura ad Chorzelów, Joannes Pięta ad Wietrzychowice, Franciscus Sierosławski ad Gręboszów, Joannes Superson ad Trzciana, Josephus Urbański ad Wojnicz.

Translati R. Dni Cooperatores: Michaël Nawalany e Zbylitowska Góra ad Czermin, Adam Kaznowski e Ciężkowice ad Eccl. Cathedr. Tarnoviae, Joannes Jarosz e Chorzelów ad Stary Wiśnicz, Joannes Śliwka e Stary Wiśnicz ad Barcice, Antonius Kaczmarczyk e Wietrzychowice ad Kruźlowa, Josephus Bardel e Gręboszów ad Czchów, Joannes Pragłowski e Wojnicz ad Baranów, Adalb. Bukowiec e Niedźwiedź ad Łapczyca, Joannes Zachara e Łapczyca ad Jurków, Ladislaus Garlik ad Bobowa, Stanislaus Grodniewski e Radomyśl Wielki ad Mikluszowice, Joannes Sadkiewicz e Żegocina ad Sobolów, Franciscus Gutfiński e Krościenko ad Niedźwiedź, Joannes Ciszek e Baranów ad Góra Ropczycka, Josephus Kaczmarczyk e Sobolów ad Nockowa, Joannes Nagorzański e Nockowa ad Dobra cum residentia in Jurków ad Dobra, Franc. Wójcik e Mikluszowice ad Wojnicz, Franc. Chrzanowicz e Lisiogóra ad Radomyśl Wielki, Josephus Pu't e Nowy Sącz ad Eccl. Cath. Tarnoviae.

Nominatus R. et Clmus S. Th. Dr Franciscus Paryło, Coop. e Limanowa, Praefectus studiorum in Seminario dioec.

Institutus ad benef. cur. in Kanina R. D. Joannes Kwarciński, administrator e Witkowice.

Praesentatus ad benef. in Tropie R. D. Wolski Bartholomaeus Coop. in Kamienica.

R. D. Alexander Piotrowski, Coop. in Lubzina, **licentiam ingrediendi Congreg. SS. Redemptoris obtinuit.**

Pane defic. provisus R. D. Ręgorowicz Josephus.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 30. lipca 1912.

Ks. Dr Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.